cum decet. Hic noster Gerardus vult mitti sibi duos glo
bos instructos ad Johannem Winckel up der Warmoes
straten to Amsterdam si commodum est atque chartam
unam Europae depictam. Volsi mercator mittite Ant-
werpiam an Lieven Slachmulder up den Dyricke strae,
te in den gulden conset. Valeas etiam nunc omnes, ego
vocatus sum à Doctore Alberto ut una colloquamur prius
quam ex hac vita migrem, si Deus volet ad eum ibo. Meus fra-
ter hic est ex Flandria, qui pro me domum servabit. Va-
le et me tibi studiosiss. crede. Bremae cal. junij 1666.
[1. VI]

Pax Christi.

71.

[= Msc. a. 7 N. 134]

Sicut nuper recepi vir humanissime tabulam lectionum
mitto, rem sane non magni precii pro summo
beneficio, quod in me quoque benignissime contu-
listi filiis tuis ego succenseo quod clam me discesse-
rint, idque nulla satis magna de causa nam vigent
etiam nunc omnes nostrae lectiones neque ex scho-
lasticis quenquam audivi esse mortuum. Duo Woer-
denses nunc à me dimissi sunt quum in aedibus ancilla
peste ictae esset. Si quid fuit periculi in curia fi-
liorum tuorum, oportuit id mihi declaratum
nec ratio discedendi à magistris mihi non proba-
tur. Credo eos magis desiderio suorum aut fuga scho-
lastici laboris abiisse, quam metu periculi impen-
dentis. Quoniam autem jam isthic sunt, et fieri potest
ut contagium hic latius serpat, nolo tibi auctor esse,
ut eos remittas antequam deferveat aestus pestis.
Interea domi urgendi erunt ut quae audita sunt
hactenus assiduè retractent non mediocrem jactu-
ram studiorum suorum facturi, quae infelicitas
utinam ipsis solis eveniat, ut nos aliquando au-
ctionem nostram Deo clementer nos respiciente
munere possimus. Quod si continget nos dissipari,
cogitabimus nos in communi Saxonicarum schola-
rum fortuna esse. Deus corroboret nos suo Spiri-
tu, ut quae ipsi placita sunt, faciamus et feramus
constanter usque ad diem exoptatissimi adven-
tus ipsius Amen. Pro tua summa hospitali-
tate gratiam habeo et semper habebo.
Precor filium Dei, ut per Evangelium a-

ternæ salutis, cujus tu sacerdos precor summum cor quoti-
die magis ac magis accendat, ut omnibus curis propha-
narum rerum postpositis totus et integer in regnum
Jesu Christi, hoc est in ædificationem Ecclesiæ ipsius
membra s. Vale. Idibus Junii 1566.

Amicus tuus et filiorum
custos
Johannes Molanus.

Nobili viro Francisco du Bois
Yperis in Flandria
Pax Christi.

72.)

[=Ascr. n. 7 = Nr. 135]

Generose vir, qui nostris olim studiis in Flandria
præsidium et decus fuisti. Quamvis per iniquita-
tem temporum mihi non licuit tuam amicitiam
colere et ea te benevolentia prosequi qua vellem:
hactenus tamen recens apud me servata est memo-
ria tui humanissimi animi, quem acerrimo judicio
præditum cognitione antiquitatis, et omni genere
artium liberalium expolivisti. Est in mea bibliothe-
ca et plerumque in meis manibus est, Plutarchi com-
pendium de rebus gestis illustrium virorum qui
vel in Græcia quondam vel apud Romanos doctri-
næ virtutumque gloria floruerunt. Eum librum
quoties inspicio (est autem id propè quotidie nul-
lo enim libro frequentius utor) toties obversatur
animo meo jucundissima recordatio ejus consuetudi-
nis, quæ mihi olim in patria cum tua excellentia
intercessit. In ejus libri prima pagina tua manuscri-
ptum est symbolum quo testatum est unde liber
ille ad me pervenerit. En tout temps du bois. Atque hoc
manuscriptum mihi est eò carius quod sit a bono viro pro-
fectum, quem scio in gubernatione patriæ nostræ justi-
tiam cum prudentia conjungere, et innocentiæ omnisque
virtutis quam studiosissimum esse. Nec verò in meo
exilio illa satis vehemens causa est, quur tua humani-
tas veterem Molani notitiam abominetur ut qui si-
ne fraude optimam vitæ partem propinquis impen-